



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1431. usque ad annum 1441

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118316**

§. 91. Synodus Latinorum cum Græcis inchoata.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66426](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66426)

Sæcul. XV.  
A.C. 1438.  
toris Græci suo ordine disponebantur Trapezuntini Imperatoris, magni Moscoviæ Ducis, Georgianorum Principis, Serviæ ac Walachiaë Despotarum oratores, ac præcipui Imperatoris Ministri, quos inter doctrinæ laude ex Senatorum ordine claruerunt Gemistius Lacedæmonius Archyrophulus, & celeberrimus Scholarius, cujus Oratio, qua suos populares ad unionem adhortabatur, in actis Concilii exstat. Ex utroque latere Patriarcham stipabant quinque Assistentes, seu Diaconi, qui cruciferi appellari solebant a Cruce, quam suis palliis intextam gestabant. Ex horum numero erat Sguropulus, qui nobis Concilii Florentini Acta reliquit. Denique omnes reliqui Ecclesiastici, Græcorum Episcoporum comites ex latere ipsis assignato inferiorem Ecclesiæ partem, sicut Latini ex opposita regione, occupabant.

*In Append.  
Conc. Flor.  
to. 13. p. 543  
& seq.*

## §. XCI.

*Synodus Latinorum cum Græcis inchoata.*

*Tom. 13.  
Conc. gener.  
Lab. p. 907.*

Hæc omnia adeo solerter disposita fuerunt, ut brevi solemne initium Synodo daretur, quæ demum die nona Aprilis in Ecclesia Sancti Georgii inchoata est, unaque promulgatum, Synodum Oecumenicam non nisi Ferrariæ celebrari, ac qua-



quatuor mensium spatium omnibus, qui ad eam vocati essent, concedi. Præterea, cum Patriarcha Constantinopolitanus plusquam octogenarius, non modo senio, sed & infirmitate gravatus abesset, ejusdem consensus e suggestu promulgatus est, quo publicatum, quod & ipse Concilii convocationem approbet, lubensque annuat, ut quatuor mensium terminus concederetur, intra quem Episcopi adhuc dum Basileæ hærentes, omnesque alii, qui Synodo interesse tenerentur, necnon & Reges, ac Principes Occidentis opportune ad eam accedere valerent. Postmodum Episcopus Portuensis ex ambone promulgavit decretum Eugenii Papæ, quo de consensu Imperatoris, Patriarchæ, ceterorumque, qui aderant, declaratum, sacram Oecumenicam Synodum in urbe Ferrariensi pro utriusque Ecclesiæ unione congregatam esse. Quibus ita comprobatis dimissa est Synodus. Sessio hæc ad sextum usque mensem protracta fuit, toto tamen, satisque longo hoc temporis intervallo exiguus erat confluentium numerus, eoquod Reges Galliæ, Castellæ, Lusitaniæ, & Navarræ, Dux Mediolanensis, & Germaniæ Principes curam ac sollicitudinem suam eo vertissent, ut Papam inter & Basileenses pacem conciliarent, professi, se inviolabili observantia Eugenium tanquam verum, ac legi-

Sæcul. XV.  
A. C. 1438.

*Ibid. p. 908.  
& seq.*



Sæcul. XV.

A. C. 1438.

legitimum Pontificem veneraturos, in-  
tempestivum tamen sibi videri, Episco-  
pos suos durante isto concordiae tractatu  
Ferrariam mittere. Ea res non parum  
afflixit Eugenium, eoquod Græci Syno-  
dum inchoari cunctarentur, donec maxi-  
ma Episcoporum frequentia convenisset.

## §. XCII.

*Congregationes habitæ de dogmatibus  
inter Latinos & Græcos contro-  
versis.*

Verum Pontifex, ne tempus inutiliter  
transigeretur, efflagitabat Græcos, ut  
intermedia hæc temporis spatia exami-  
nandis dogmatibus inter utramque Ec-  
clesiam controversis sacrare, ac cum La-  
tinis conferre vellent. Græcis in plene  
Synodo negotium hoc pertractandum pe-  
tentibus tandem post iteratas preces  
ægre impetratum, ut ex utraque parte  
nominarentur, qui tribus in hebdomada  
diebus in Monasterio S. Andreae conve-  
nirent, ac de materiis controversis confer-  
rent. Itaque a Græcis delecti sunt Mar-  
cus Eugenius Ephesinus, & Monemb-  
sienfis, Nicænus, Lacedæmonius, & Ar-  
chialensis Episcopi, unacum magno Chro-  
tophylace, magno Ecclesiarcho, duobus  
Abbatibus & uno Monacho, quibus Im-  
perator Jagarim adhuc adjunxerat.

*Conc. Gen.  
tom. 13. p. 23.  
& 918.*